



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Conclusio huius Operis:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

*Refellitur premissa opinio.*

**S**ed ipsi sibi contrarij sunt: dicunt enim sibi licitum esse, alterius legis vxorem ducere, quod & antiqui Patres fecisse leguntur, vt Dauid, qui gentilem duxit vxorem, matrem videlicet Absalonis, & Salomon filiam Regis Aegypti. Si enim eis licitum est vxores ducere alienigenas, multo magis licitum est salutare, vel pro eis orare. Isti colant culicem, & deglutunt Camelum. In multis etiam alijs sibi sunt contrarij. Quaedam enim ex veteri lege suscipiunt, quaedam excipiunt: Similiter, ex Euangelio, & sibi multipliciter contrarij sunt. Hæc sunt Vulpeculæ Sampsonis, quæ in caudis fuerunt coniunctæ, in facie disiunctæ, & diuisæ. Illi enim dicunt Christum tantæ fuisse dignitatis & sanctitatis, ac Mahometum, vel etiam maioris, quandoquidem dicant Christum non fuisse mortuum, Mahometum autem asserant defunctum; & etiam manifestum est Mahometum fuisse mortuum, & à canibus deuoratum.

Si Christus non est mortuus, vbi dicent eum esse, in cælo, & in terra? In terrâ manifestum est eum non esse, relinquitur ergo, quod in cælo. Sed quando ascendit in cælum, cum passus, vel mortuum, vel suscitatus, secundum eos, non sit?

Quæritur etiam ab eis, vtrum Christus iudicaturus sit mundum? Nonne legitur in libro Daniëlis, quod libri conscientiarum aperientur in die iudicij, & vetustissimus dierum sedebit, & singulos

iudicabit: Daniëlis 7. Hæc autem inuenit in via, vt hoc iudicium consequeretur in patriâ.

Dicant etiam, opinio sua quibus notetur miraculis? Apud eos sunt miracula per antiphrasim. Relinquitur ergo, falsam esse eorum opinionem, quæ non munitur ratione, vel auctoritate.

*Conclusio huius Operis:*

**E**Rubescant ergo hæretici de falso errore, Waldenses de excogitato dogmate, Iudæi de legis Mosaicæ obseruatione, Pagani de abominabili errore. Conuertantur hæretici ad Catholicam vnitatem, abrenuntiantes prauis dogmatibus; Waldenses prauis persuasionibus, Iudæi obseruantijs carnalibus, Pagani superstitiosis opinionibus, vt sic ad veram vnitatem perueniant, & à verâ vnitatis fidei, ad veram æternæ beatitudinis vnitatem ascendant. Quod nobis præstare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat vnus Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Explicit quadrupartita MAGISTRI ALANI editio contra hæreticos, & Waldenses, Iudæos, & Paganos.*

*Inferius habebatur:*

*Fideliter extractum ex manuscripto in Bibliothecâ Cisterciensi asseruato. 18. Martij, 1655.*

*Franciscus du Chemin,  
Prior Cistercij.*

**FINIS.**